

XI. Tertium denique explicatur, quia solæ illæ species pertinent ad primam institutionem naturæ, quæ ipsa vi, et perfectione naturæ possunt, et natæ sunt, produci, et sunt quasi species originariæ. Tales quantumcumque imperfectæ, aut nocivæ, vel venosæ productæ sunt a Deo in prima institutione. Quæ enim sunt nocivæ uni, sunt proficue aliis, vel sibi, et quælibet habet perfectionem in gradu, et genere suo. Ergo omnes istæ a Deo productæ sunt, alioquin si solum perfectas produceret, paucissimas faceret, quia etiam inter illas una est imperfectior alia. Quæ ex putrefactione, et corruptione oriuntur, non oportuit quod actu producerentur in hac die, et sexta, sed in potentia tantum quatenus sunt in virtute cælorum, et in potentia materiæ putrefaciendæ; quæ est sententia D. Thomæ in quæstione LXXII ad v, et q. LXXIII, art. 1 ad III. Unde tales species magis pertinent ad opus propagationis, et reputantur sicut multiplicatio individuorum, eo quod istæ species supponunt jam suam originem, id est, virtutem ex qua fiant, quæ est virtus cæli, et putrefactio materiæ; et ex illis quasi propagantur, et oriuntur. Similiter quæ resultant per degenerationem, sterilitatem, aut aliquam aliam monstruosam productionem non pertinent ad primam institutionem naturæ, quia istæ potius sunt corruptiones naturæ, aut species via corruptionis productæ, et non debuit via corruptionis produci aliquid in prima institutione rerum, sed hoc pertinet ad propagationem corruptivam, et virtualiter continebantur in speciebus perfectis, ex quarum corruptione fieri natæ sunt. Si tamen aliqua animalia quæ alias ex putrefactione, vel corruptione oriri solent, pro illis primis diebus necessaria erant ad escam, et alimentum

aliquarum avium vel animalium, etiam cum aliis facta videntur, vel etiam quam citissime ex actione solis, et dispositione terræ facta sunt, quia ista animalia habent imperfectissimam organizationem, et brevissime fiunt, et multiplicantur. Denique, idem dicendum est de animalibus ortis ex commixtione sexuum diversæ speciei, ut mulus ex equa et asino, leopardus ex pardo et leæna, et similibus. Nam etsi videantur animalia in se perfecta, tamen revera reputantur ut partus monstruosi, et non secundum inclinationem naturæ, sed præter, et præsertim quia ordinariè procurantur industria humana cum fiunt inter animalia domestica. Quæ autem ita præternaturaliter, aut monstruose fiunt, non debebant ab auctore naturæ in prima institutione naturæ produci, ubi solum quod naturæ est, fieri oportuit. Reliqua præternaturalia, sufficiebat in virtute istorum contineri, et ab ipsis originari posse per defectum aliquem præternaturalem. Et sic magis erant species propagabiles, quam originariæ, et per se, ac naturaliter spectant ad compositionem universi. Et sic ad opus propagationis pertinebant.

XII. An vero omnes species animalium quæ possunt fieri virtute solis, et dispositione terræ, relictæ sint a Deo, vel etiam aliquæ ex his in initio productæ immediate ab ipso, v. g. mures, glires, lacertæ, muscæ, et serpentes aliqui, cum tamen dicatur in Scriptura, Deum fecisse omne reptile secundum genus suum, respondetur vix posse in his aliquam certam regulam statui. Sed tamen D. Thomas quæstione LXXII sequenti ad v, dicit quod ea quæ nata sunt ex corruptione rei inanimatæ, vel ex corruptione plantarum produci, potuerunt tunc fieri, si quidem supposito quod animalia fiebant non per creationem ex nihi-

lo, sed per eductionem e materia, aliquid corrumpi necesse erat ut generarentur, puta aliquid terræ, vel aquæ, vel terræ madefactæ, unde talis corruptio non erat indecens, sed debita pro illa prima rerum institutione. Et sic etiam animalia illa, quæ alias ex sole, et dispositione terræ, vel rei inanimatæ generari possunt, non fuit inconveniens tunc a Deo formari. Et eadem ratio est de illis quæ connaturaliter et per se generantur ex semine, licet aliquando etiam, et minus connaturaliter a cælo procedere possint, hæc enim videntur a Deo producta, quia auctor naturæ attendit id quod est per se, et connaturalius. Animalia vero quæ nata sunt ex putrefactione, et corruptione aliorum animalium oriri dicit D. Thomas, quod non sunt facta a Deo nisi in potentia, quia produxit animalia quæ poterant corrumpi, et ex eis ista generari, et idem est de iis quæ ex fimo animalium, vel eorum sudore, aut humoribus nata sunt oriri, hæc enim omnia nascuntur de corruptione aliqua animalium, ut pulices, et similia.

QUÆSTIO LXXII.

DE OPERE SEXTE DIEI.

TEXTUS

Dixit quoque Deus : Producat terra animam viventem in genere suo, jumenta, et reptilia, et bestias terræ secundum species suas. Et factum est ita. Et fecit Deus bestias terræ juxta species suas, etc.

Et vidit Deus quod esset bonum, et ait : Faciamus hominem ad imaginem, et similitudinem nostram, etc. Et creavit Deus hominem ad imaginem, et similitudinem suam, ad ima-

ginem Dei creavit illum masculum, et feminam fecit eos.

NOTANDUM CIRCA HANC QUÆSTIONEM.

Sextæ, et ultimæ operationis dies, in adornanda terra consumptus, omnia animantia produxit in terra, et postea fecit Deus hominem ad præsidendum universæ terræ. Et D. Thomas ea quæ pertinent ad productionem hominis remittit ad quæstionem xc et sequentes inferius post tractatum exactum de ipsa anima secundum se. In hac autem quæstione LXXII, solum tractat ea quæ pertinent ad productionem animalium.

I. Nos circa animalium productionem nihil addendum putamus ad ea quæ de formatione piscium et avium dicta sunt, quia eadem proportionalitate possunt inquiri de animantibus terræ, et eodem modo debent resolvi. Solum pro intelligendo modo loquendi Scripturæ, duo inquiruntur. Primum circa diversitatem qua loquitur Scriptura de his generibus viventium : nam de avibus, et piscibus dicit : *Producat aquæ reptile animæ viventis, et volatile.* De animantibus terræ dicit : *Producat terra animam viventem in genere suo, etc.* De homine vero dicit : *Faciamus hominem ad imaginem, et similitudinem nostram.* Et statim : *Et creavit Deus hominem ad imaginem et similitudinem suam.* Secundo, inquiritur quomodo diviserit Scriptura species animantium terræ, scilicet jumenta, et reptilia, et bestias terræ ; de piscibus vero, et avibus nullas species determinatas posuit, sed solum quod creavit Deus animam motabilem et viventem quam produxerant aquæ in species suas, et volatile secundum genus suum. Qui vero sint istæ species, et genera non describitur.

II. Ad primum respondetur ex D. Thoma in hac quaestione LXXII ad primum, quod modus iste loquendi Scripturae est ad significandum diversos gradus vitae, qui sunt in diversis viventibus. Nam plantae habent imperfectissimam vitam et occultam. Unde in earum productione nulla fit mentio de vita, sed solum de generatione, dicendo: *Germinet terra herbam viventem, et lignum pomiferum faciens fructum, cujus semen sit in semetipso*. Nam solum secundum generationem invenitur in eis actus vitae, nutritiva enim et augmentativa generativae deserviunt. Inter alia vero animalia perfectiora sunt communiter loquendo terrestria avibus, et piscibus propter distinctionem membrorum, et perfectionem generationis, quantum autem ad aliquas sagacitates, etiam aliqua animalia imperfecta magis vigent, ut apes, et formicae. Et ideo Scriptura pisces vocat non animam viventem, sed reptile animae viventis, sed terrena animalia vocat animam viventem propter perfectionem vitae in eis; ac si pisces sint corpora habentia aliquid animae, terrestria vero animalia propter perfectionem vitae sint quasi animae dominantes corporibus. Perfectissimus autem gradus vitae est in homine. Et ideo vitam hominis non dicit produci a terra, vel aqua sicut caeterorum animalium, sed fieri, vel creari a Deo. Ita docet D. Thomas.

III. Ad secundum respondetur sub illis tribus generibus animalium comprehendi omnia animalia terrestria quae nobis magis sunt nota, et incolunt eandem terram quam homines, unde oportuit illas species magis innotescere nobis, quorum vel opera adjuvamus vel nocumenta vitamus. Quod non currit in piscibus qui intra aquas degunt. Nec de avibus ita necessaria erat nobis

ista notitia sicut de animantibus, quorum opera adjuvamus, vel saevitiam evitamus. Et quidem jumenta designant omnia animalia mansueta aut domestica, quae homini deserviunt qualitercumque. Per bestias terrae intelliguntur animalia fera, et saeva, nec homini convenientia, ut ursi, leones, tigres, rhinocerotes, etc. Per reptilia ea quae serpunt per terram, aut pedes habent parum elevatos, ut lacertae, formicae, et similia. Unde etiam ante peccatum serpens repebat pectore, si quidem reptilia (quae ulique prono pectore incedunt) formavit Deus sexta die. Non tamen erat ei poenale, aut laboriosum supra pectus ambulare ante peccatum, sicut post. Addit D. Thomas hac quaestione ad secundum, addidisse Scripturam quadrupedia propter aliqua animalia, quae sub his tribus generibus non comprehenduntur, ut cervi, et caprei, nec enim sunt animalia saeva, nec tamen sunt domestica. Sed haec additio quadrupedum non invenitur in nostra vulgata; invenitur autem in textu septuaginta interpretum, et juxta illum voluit solvere S. Thomas. Juxta lectionem autem vulgata illa animalia non domestica ad bestias terrae reducuntur, non quia saeva, sed quia non domestica.

FORMATIO CORPORIS ADAMI A QUO EFFICIENTE, ET EX QUAE MATERIA, ET IN QUO STATU SIT FACTA.

IV. De productione primorum parentum ea solum attingemus, quae ad corpus eorum spectant, ut complete tractentur ea, quae ad officium corporalis mundi spectant. Quae vero spiritualem animae statum tangunt, scientiam, gratiam, statum innocentiae, et ea quae pertinent ad statum illum si duraret, omittimus in praesenti, et remitti-

mus ad ea quae tractat D. Thomas infra a quaestione xc et deinceps.

V. Circa formationem ergo corporis humani, occurrunt illaemet difficultates, quae aliorum animalium formationem, scilicet de causa efficiente, de materia, de statu, et qualitate in qua factum est. De singulis breviter dicemus.

VI. Circa causam efficientem dicimus immediate a Deo factum esse corpus hominis sub ea dispositione, et organizatione quae humanum est, id est, susceptivum, et capax animae rationalis. Quantum tamen ad aliquid remotum, et preparativum pro formatione corporis non repugnabat aliquod ministerium Angelos exercuisse, non tamen constat, nec est fundamentum in Scriptura ut dicamus de facto id fecisse Angelos. Ita sumitur ex D. Thoma infra quaestione xci, art. ii, et est communis sententia sanctorum patrum et theologorum, cujus oppositum sensit Philosophus libro de officio mundi, intelligens verba illa: *Faciamus hominem ad imaginem, et similitudinem nostram*, esse dicta a Deo ipsis Angelis, quod ante ipsum docuerat Plato in Timaeo, et post ipsum tradiderunt Basilides, Cerinthus, et Manichaei, ut refert Epiphanius, haeresi xxv et lxxvi, fuisseque opinionem Judaeorum tradit Chrysostomus homilia viii in Genes. Sed tamquam error exploditur communiter a patribus. Et manifeste colligitur ex Scriptura, quae saepissime soli Deo attribuit, non solum creationem animae ad imaginem suam, sed etiam ipsam formationem de limo, quod soli corpori hominis convenit. Et illa verba: *Faciamus hominem*, si ad Angelos essent dicta, non solum probarent esse factum corpus hominis ab Angelis, sed etiam animam, quia dicit: *Faciamus ad imaginem, et similitudinem nostram*; imago autem, et similitudo Dei in anima est.

VII. Igitur loquendo de formatione corporis ostenditur factum esse a solo Deo, quia dicitur Genes. i: *Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terrae, et inspiravit in faciem ejus spiraculum vitae*: Tobiae viii: *Tu fecisti Adam de limo terrae, dedisti que ei adjutorium Evam*: Ecclesiastici xvii: *Deus de terra creavit hominem, et ad imaginem suam fecit illum*. Ergo ipsa formatio corporis Deo attribuitur perpetuo in Scriptura, id enim quod de terra formatum est, solum est corpus, et haec formatio soli Deo attribuitur. Et licet potuerit fieri, ut Angeli aliquod ministerium in formatione corporis humani exhiberent, sicut exhibebunt in ultima resurrectione, ut S. Thomas dicit loco citato ad primum, tamen pro ministerio resurrectionis habemus testimonium Scripturae, Matthaei xxiv: *Et mittet Angelos suos cum tuba, et voce magna congregabunt electos ejus a ventis, a summis caelorum usque ad terminos eorum*. Pro ministerio autem primae formationis corporis humani nusquam Scriptura dicit Angelos esse a Deo occupatos. Ergo licet id potuerit fieri, tamen quod de facto ita factum fuerit, non est revelatum.

VIII. Ratio autem D. Thomae ea est quae saepe in superioribus est insinuata, quia Angeli non possunt operari propria virtute alterationem, et generationem in corporibus, nisi applicando activa passivis et mediantibus rationibus seminalibus. Nullae autem erant quae possent humanum corpus generare etiam ex communi materia seminis, et consueto modo generationis, tunc quando primum corpus hominis formatum est, si quidem seminales rationes ad istam formationem in illo corpore humano solum inveniri poterant, non ante illud. Et multo minus poterant dari seminales

rationes, ut ex materia ita indisposita, et repugnante, sicut est limus terræ posset formari corpus humanum. Neque in cælo talis virtus datur, nunquam enim apparet quod ex limo terræ a cælo factus sit homo, nec enim valet cælum tam perfectum animal sine semine generare. Non ergo est virtus creata, quæ corpus hominis possit ex limo terræ formare, nisi solus Deus.

IX. Ut tamen videamus quid Angeli potuerint ministrare in illa formatione, sicut ministrabunt in ultima resurrectione, est advertendum, quod in illa formatione aliquid potuit esse quod præcise pertinuit ad motum localem, aliud quod pertinuit ad alterationem, seu ad qualitatum temperamentum, partiumque ordinationem. Ad motum localem potuit pertinere congregatio terræ, seu limi et mutatio ejus de uno loco ad alium, madefactio terræ, seu infusio, ut ex illa, et ex humore limus fieret, et alia similia, ut aptaretur ex illo limo tota materia ad illud corpus necessaria. Ad alterationem pertinere potuit temperamentum illius corporis in suis qualitibus debitis, ut talis pars haberet tantum de calore, vel de siccitate, aut humiditate; ista esset densior, alia rarior, aut mollior, et omnia alia quæ pertinent ad organizationem, in figura, in temperamento, et in omnibus qualitibus, quæ humanum corpus disponunt, et organizatum, ac dispositum reddunt introductioni animæ rationalis. Primum potuit sine dubio fieri per Angelos et fiet in resurrectione ultima, quando colligent cineres ex quibus corpora formanda sunt. Secundum autem nullatenus possunt facere, quia non habent vim alterandi, et generandi per se ipsos, ut supra ostendimus, sed per rationes seminales, et applicando activa passivis, quæ tunc nulla erant ante tale corpus formatum, ut posset mo-

do consueto generari; ut autem ex limo posset tale corpus formari, neque tunc, neque postea fuerunt aliqua virtutes, aut seminales rationes quæ idfacere possent.

X. An vero Deus formaverit ex præjacente limo corpus hominis in instanti, vel secundum aliquem motum, et successionem, respondetur de hoc non posse constare clare ex his quæ narrat Scriptura, certum est utroque modo potuisse Deum id facere, et successive utendo aliqua alteratione, et locali motu, ut corpus illud organizaretur, et temperaretur, et subita mutatione sine motu aliquo, creatura illa utendo ad nutum, sicut in instanti convertit Deum panem in corpus Christi utique organizatum perfectissime, et sic potuit limum immutare in instanti in corpus organizatum Adæ, non conversione totali, et transubstantiva, seu formali; aliquando autem fecit aliqua miracula successivo motu, sicut aliquos cæcos paulatim illuminavit, et curavit. Quo autem ex his modis usus sit Deus, incertum nobis est. Magis tamen probabile apparet, quod instantanee id fecerit, tum quia majoris majestatis est actio, et plena dominii, sic immutare creaturam; tum quia secundus Adam Christus sic in utero virginali instantanee formatus est, nescit enim tarda molimina Spiritus Sanctus, ut Ambrosius inquit; tum quia Scriptura, licet dicat formasse et fecisse Deum ex limo terræ hominem, tamen sæpius utitur nomine creationis: *Et creavit Deus hominem ad similitudinem suam*, Genes. i et v, et Ecclesiastici xxvii. Creatio autem maxime indicat instantaneam actionem.

XI. Circa materiam ex qua factum est corpus Adæ constat esse factum de terra, seu de limo, aut luto. Itaque non ex nihilo creatum est sicut anima, sed ex præjacente materia.

Id enim expresse dicit Scriptura, Genes. ii: *Formavit Deus hominem de limo terræ*: et c. iii: *Donec revertaris in terram de qua sumptus es, quia pulvis es, et in pulverem reverteris*: et i ad Corinth. xv: *Primus homo de terra terrenus*. Nec oportet in hac materia ponere virtutem aliquam effectivam ad tale corpus, sed solum materialem concursum, sicut supra de concursu aquæ ad pisces, et aves dictum est. Cur vero non fuerit ex nihilo creatum corpus hominis, quod videtur majoris dignitatis esse, rationem reddit D. Thomas, quæst. xci, art. i ad i, quia oportuit ex materia quatuor elementorum fieri corpus humanum (est enim mixtum) ut haberet convenientiam cum rebus inferioribus in corpore, sicut in anima ex nihilo creata cum Angelis, tamquam medium inter spirituales, et corporales substantias, ex omnibus participans.

XII. Circa statum, et dispositionem, in qua corpus illud formatum est, dicendum est fuisse a Deo productum in statu, et dispositione perfecta, in qua posset homo operari, et excolere terram, gubernare alios, generare, etc. In hoc enim eadem ratio est de homine, atque de aliis animalibus, quæ ut supra ostendimus debuerunt produci in statu perfecto, ut possent per se operari, et propagare, non in statu imperfecto, et infantili, quo necesse haberent ab aliis enutrir, vel educari, et oportet multos annos expectare, ut propagatio inciperet. Hoc autem multo fortius currit in homine, qui erat omnium animalium perfectissimus, et caput, ac præses totius terræ, ideoque Scriptura specialiter aliquas ejus actiones commemorat, quæ perfectum statum et dispositionem supponunt. Nam dicitur capite ii: *Quod tulit Deus hominem, et posuit eum in paradiso, ut operaretur,*

et custodiret illum. Quæ actiones operandi, et custodiendi perfectam ætatem supponunt. Item in scientia, et discursu describitur Adam quasi vir perfectus, quia Deus imposuit ei præceptum non comedendi ex ligno scientiæ boni, et mali; item quod adduxit animalia ad Adam, ut videret quid vocaret Adam, et omne quod vocavit, ipsum est nomen ejus, quod sine perfectione scientiæ fieri non poterat. Et sermonem illum quem habuit Adam ad Evam perfectum ejus discursum attestatur. Et cum dicitur tamquam aliquid speciale, quod uterque erat nudus, et non erubescerat, supponit manifeste ipsos fuisse puberes, et virilis ætatis, nam in ætate parvula non mirum esset, quod non erubescerent. Denique, Deus benedixit illis, et præcepit, ut multiplicarentur, et crescerent, ergo erant in statu propagandi, et generandi, atque adeo in ætate perfecta.

XIII. Quanta autem perfectio fuerit in illo individuali corpore præ aliis individuis, in pulchritudine, temperamento, proceritate, ætate, et vigore sensuum, non oportet latius discurrere. Nam cum corpus illud immediate a Deo factum fuerit, cujus opera perfectissima sunt, ipseque Adam totius humani generis caput, et princeps constitueretur, non est dubium sine ullo defectu, in statu perfectissimo fuisse creatum; unde et post eorum creationem subdit Scriptura: *Quod vidit Deus quod esset bonum*, id est, perfectum, et consummatum hominem illum quem fecerat. Certe S. Hieronymus epistola xxvii, in epitaphio Paulæ circa finem, dicens nos resurrecturos in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi, addit: « In qua ætate, et Judæi Adam conditum autumant. » Quod Hieronymus non reprobatur, sed admittit. Unde videtur creatus fuisse in juvenili ætate